Pazzis Teol. 5287.

Bylina Joan. Ant. Prodigium montis Carmeli.

PRODIGIUM
Montis Carmeli
D. MARIA MAGDALENA DE PAZZIS,
miraculîs & vitæ Sanctitate
INCLARESCENS.
Annuô Solennitatis ſuæ recurrente Feſtô, in Baſilica Celeberrimi Conventûs Cracovienſis Majoris, Perantiquæ Regularis Obſervantiæ, PP. Carmelitarum in Arenis Illuſtriſſimæ Magnorum Hoſpitum Coronæ

A

JOANNE ANTONIO de Leſzczyny BYLINA,
Juriſprudentiæ & Philoſophiæ in Alma Univerſitate Cracovienſi Auditore.

Cultu Panegyricô
DEMONSTRATA.
Annô quô

OrbI ProDIgIVM CæLestI fVLsIt abAXe

Die 27. Maij.

Typis Collegij Majoris, Univerſitatis Cracovienſis.

In Stemma Illustrissimum. Perausgusti Capituli Cracoviensis.



Quid splendet celsô Ternum Diadema Vavellô?
Orbem Sarmaticum quidve stupere facit?
Vos Proceres Sacri Patriæ tutamina nostræ,
Semper pro meritis, trina Corona decet.

ILLVSTRISSIMIS PERILLVSTRIBVS & REVERENDISIMIS DOMINIS. DD. PRÆLATIS. & CANONICIS. totiq; Peraugusto CAPITULO. Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis. Dominis, Patronis, & Benefactoribus Amplissimis.

EX sydereo Carmeli vertice, in quem humili elevatus stylo, altissimas D. MARIÆ MAGDALENÆ de PAZZIS *venerabar virtutes, in vestrum Cracium venio Vavellum, ubiq; gestorum ac virtutum Prodigia demissô poplite venerando.* ILLVSTRISSIMI, PERILLVSTRES, & REVERENDISSMI DOMINI. *Etiam quippè Coronatus Vavelli apex Carmelo suppar est, non magnorum tantum ordinatissima virorum sedes,*

 sed

sed Præsulum seminarium, & Lechici frons tota senatûs. Triplex Coronarum Ordo, hîc omnem perfectionem demonstrat. Imò quòd non sola tantum Roma Caput suum, etiam Cracoviensis Cathedra unius cuiusq; Prælati emeritum verticem triplicatô in plausum Diademate vinciat, indicatur. A Cælis in Carmelo Numine plenus Vates ELIAS impetratîs imbribûs sterilitatem fæcundavit agrorum; Martyrius STANISLAI cruor ad vicinam profusus Rupellam, sic feracissimum effecit Vavellum, ut & ipse semper aureô frondesceret metallô, & totius Poloniæ Campos præcipuâ Virorum ubertate donaret. Nitidæ stellæ in Carmelo spectantur, in Vavello quot Prælati Dignissimi & Canonici, tot primæ magnitudinis sydera refulgent. Zodiaci Cælestis signum primum Aries est, Vavellani Olympi Gentilitius AGNUS, CELSISSIMI PRINCIPIS Illustrissimi & Reverendissimi Domini, CONSTANTINI FELICIANI in Szaniawy SZANIAWSKI, Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ, *primum existit Astrum, suô beneficô influxu totam Poloniam montemq; Vavellanum beando. Cumq; Agnus hic pridem Libris assvevit, etiam hanc meam nunc pandit & aperit opellam, in qua Vestra nomina* Illustrissimi, Perillustres & Reverendissimi Domini *Orbi proponuntur legenda. Legendus primò & adorandus venit* Illustrissimus & Reverendissimus Dominus MICHAEL in Słupow SZEMBEK, Episcopus Paphensis, Suffraganeus & Decanus Cracoviensis Abbas, Claræ Tumbæ. *Illi nativa florum folia pro quibusvis sufficiunt voluminibus, cum ex Celsissimo Rosarum ternione, bene legitur ejus perfectio vitæ, quâ usq; ad totius Poloniæ stuporem inclarescit. MICHAEL Cathedralis Ecclesiæ Angelus est, Prælatorum simulq; Virtutum Princeps, Fidei Legumq; Defensor, boni publici Clypeus infractus. A limatissima judicij ejus lance pendet Coronarum pondus, ingentiq; meritorum pretiô adaugetur cum invidia altiorum Infularum, quæ eius inhiant fronti. Parte ab altera aureô scribendus charactere implet paginam, quæ ipsum non capit* NICOLAVS de Wyzyce WYZYCKI, Ecclesiæ hujus Archidiaconus, Chełmensis Decanus, Varsaviensis Scholasticus, *eruditarum mentium decus, ingeniorum Lydius lapis. Quidquid agit gemmeum est & elegantiam superat omnem. Cruce suâ Gentiliiâ, magis cultissimis qualitatibûs Latiû vicit Capitolium, Polonum Vavel-*

lum

lum Triumphator animorum ingressus. Sub Rosa Gentilitia FRANCISCI in Dmenin KOBIELSKI, Suffraganei Vladislaviensis, Gnesnensis Canonici, Cracoviensis Præpositi, *silentium non servatur, cujus merita vocalia sunt in Poloniam totam. Novum encomiorum caput habet ex suo capite* ANDREAS ŁVBIENSKI, Scholasticus Ecclesiæ huius. *Ipse mucro in Gentilitio Capite, quô merita eius notantur posteritati transmittenda, elogia scribit. Sibi gloriæ erigit Colossum* STANISLAVS KRESKI Cantor Cracoviensis, *quem gloriosa opera facient semper perennare. Adamantinam Patriæ & Ecclesiæ basim videt Polonia* in SEBASTIANO KOMECKI, Gnesnensi Canonico, hujus Ecclesiæ Custode, & Vladislaviensi Decano, *qui bonîs avibûs, quia suîs, quòcunq; procedit ubiq; bona omina, felicissimos adportat eventus. Polona Themis in Regni Tribunali quoties dantem Oracula audivit, censuit Tripode veriora. Sigillô Cancellariatûs munitur gloria* ADAMI KVMOROWSKI, Ecclesiæ huius & Luceoriensis Cancellarij, *& se amplissimè diffundit. Est Ille altiorum expectatio honorum, ad quos tritô Majorum calle procedere, ipsa eum merita jubent.* IOANNES KVRDWANOWSKI, Varmiensis Suffraganeus, Cracoviensis Canonicus, *Vox Patriæ jucundissima est, quia in omnes gratiosus IOANNES. Trinæ antiquitatis Charites, nequeunt ipsi comparari, quia superat omnes. Falcibûs Gentilitijs* ANDREÆ OLSZOWSKI, *semper aurea Patriæ demetitur messis, quam pridem in Celsissimo Primate Regni, primoq; Principe, nunc in illo ipso Polonia agnoscit. Ad Tribunal Regni Deputatus, alijsq; publicis negotijs functus, semper vitam suam Patriæ consecrat bono.* STEPHANVS TARNOWSKI, *ad trinam coronã magnarũ virtutũ ingentiũ decorũ est corona. In umbris modestiæ clarius fulget, quàm inter ignes Luna minores. Præclara eius in justitiæ Areopago gestorum facta manifesta sarmatico existunt Orbi, quæ & ex Peravitis Rosarum centifolijs, succedanea leget posteritas. Senium venerandum* IOANNIS ŁVCZKIEWICZ *meritîs vernat immortalibûs. Nullos unquam omittit labores, quos Divorum Aris non impendat.* LVDOVICVM SIEMIERADZKI, *Seria ubivis concomitatur adorea laudis. Agit in Superos Numam, in Ecclesias munificentiâ Augustum*

B exce-

excedit. Coronat Patriæ suæq; Prosapiæ desideria de se concepta, STEPHANVS DĘMBINSKI, Custos Regni *Vitæ perfectioris norma & virtutum amussis. Vigilantia eius Argô centoculô major est, quâ Ecclesiæ prospicit bono. Suorũ encomiorum ingens auxesis est* IOSEPHVS IORDAN, *quem Tubarum Gentilitiarum clangor Orbi deprædicat Polono, sed Virtus propria sub ipsa æthera tollit.* DOMINICVS LOCHMAN, *Iudex surrogatus, sub sua Themide solam facit triumphare virtutẽ. Ecclesiæ Archipræsbyteralis amantissimus cum fuerit Pastor, totus in Ecclesiæ* DEI *decorem effusus curavit esse.* IOANNES ŁĘTKOWSKI, *quàcunq; procedit, sibi iter Gentilitiâ soleâ facit gloriosum, quò ad metam altiorum deveniat honorum. Revocat NICOLAI tempora NICOLAVS DENHOFF, qui fortunam suam liberalitate præcipuâ in aliorum convertit usus. Magnis Prædecessoribus clarus, virtute suâ clarior existit, Ceris Majorum affundit lucem.* FRANCISCUM in Słupow SZEMBEK, Suffraganeum Præmysliensem *Celsissimus Rosarum ternio, summis laudibus vernare facit, & itinere meritorum florentissimô ad auream honorum messem ex sarmaticis colligendam Campis manuducit. Regium Nomen* GASPARI SZCZEPKOWSKI, Iudicis Surrogati, *debitæ venerationis admonet Universos. Frontis suæ Majestate, alios in reverentiam, alios in amorem, omnes trahit in utrumq;. Soleatâ cruce suâ facilè triumphat de adversis, & sibi patentem reddit appiam ad eminentioris Capitoliũ dignitatis. Superat prudentiâ in prospiciendo Ecclesiæ bono Consum, liberalitate in sublevanda multorum egestate Trajanum vincit.* M. BASILIVS PLASCZEWSKI, Sacræ Theologiæ Doctor & Professor, *Regniq; literarij basis ætate venerandâ sibi omnium conciliat affectus, sed magis morum gravitate & virtutum ac meritorum autumnô.* GEORGII MIEROSZEWSKI, *summa gloria in negotijs omnibus quæ pro Templorum peragit bono, adeò suô lumine splendet ut omnem, invidiam perstringat.* MICHAELEM WODZICKI, Officialem Cracoviensem, *quas gloriosissimè peragit functiones commendant Orbi. Ad Regni Tribunal Iudex Deputatus suô sensu quem loquebatur, aliorum illuminabat sententias, semper pro Iustitia certando.* CASIMIRO OSSOLINSKI, *domesticâ Asciâ & in laudes facundos format Mercurios, & architectam agit, ut Regiam ædificet honorum, ad quam illum magna merita introducunt.* AN-

DRE-

DREAS WĘGRZYNOWICZ, *Leone suô stellatô Rhetorica extingvit lumina, & Sibi honorum accendit meridiem, quem ejus merita poscunt. Ampla* HIERONYMI IEŁOWICKI, Suffraganei Leopoliensis *merita, Orbi Polono notissima extant. Quòcunq; vertitur, magnam sui æstimationem & amorem meretur.* In THEODORO CZARTORYSKI, *Principe summa DEI relucent dona quæ nomine sonat. Celsissimô Pogoniâ altis honoribus invehendus. Liliatum Nomen CASIMIRI MORSZTYN, totam Florentiam spirat, ob agendis in rebus dexteritatem, dignus summîs honoribûs vernare. STANISLAO BOREK, virtus sua & merita perennem gloriæ erigunt obeliscum. ADALBERTO PRUSZAK BIENIEWSKI, vectigalis manet laudis adorea; quam sibi gentilitijs Gladijs non desinit subjugare. NICOLAUS ZŁOTNICKI, Aureus Ecclesiæ Pastor, totus in Patriam, totus in superos munificentiâ clarescit. MICHAELIS TRZEBINSKI, qualitates eximias, animi fortitudinem infractam Regni Tribunal contestatur, in quo Iudex Deputatus oracula Themidis ad mentem non verba locutus. DOMINICUM SIENINSKI,* Nominatum Episcopum Samogitiæ *magnus Virtutũ cætus, indefessus pro justitia labor, summè proficuum Regno & Ecclesiæ exaltant. IOSEPHUS ZAŁUSKI, magnorum in Republica Patruorum Celsissimi olim Principis CHRYSOSTOMI Varmiensis, Regni Cancellarij Supremi, LUDOVICI Płocensis Episcoporum, MARTINI Suffraganei Płocensis Fratris Germani Episcopi moderni Płocensis, in se magna compediat decora, & suis meritis auget in immensum. MARTINI ZEROMSKI, gloriosa ætas heroicis pro Ecclesia operibûs infracta, clarissimîs gestîs hanc Cathedrã exornat. MICHAELEM KUNICKI* Gneinensem, Varmiensem Canonicum *summa prudentia eximia ubiq; ejus authoritas, vitaq; innocentia magnis laudibûs in altum tollit. M. JOANNES LUKINI,* I. V. Doctor & Professor, *doctarum mentium lumen, cultissimi eloquij vis & norma, Universitatis Cracoviensis ad præsens Magnificus Rector, Peraugustæ huius Cathedræ non claudit gloriam & Majestatem, quæ toti Universo amplissima patet. Nomina hæc* ILLVSTRISSIMI, PERILLVSTRES & REVERENDISSIMI DOMINI *veriùs Numina devotâ recensui mente, cupiens singula venerari Ergo veneror profundissimè nominibus tantis nulla elogia scribo, quæ*

sibi manent Elogium summum. Quotquot in Perauguſto Capitulo Vos Polonus numerat Orbis, omnes Apollines & Joves, quorum singulorum capite verior naſci Minerva poteſt. Ingentia Veſtra decora, virtutes, & encomia, totum fermè Univerſum rapiunt in ſtuporem. Undè PRODIGIUM Montis Carmeneli D. MARIA MAGDALENA de PAZZIS in veſtro Vavello ut emineat, favoribus annuite veſtris. Ego ſummis Veſtris meritis in Eccleſia DEI & Regno, culmina voveo honorum & feliciſſimos ſucceſſus. Qui ſum.

Illuſtriſſimarum Perilluſtrium & Reverendiſſimarum Dominationum Veſtrarum.

Cliens Devinctiſſimus

JOANNES ANTONIUS
de Leſzczyny BYLINA,
Juriſprudentiæ & Philoſophiæ
in Alma Univerſitate Cracovienſi
Auditor.

ORATIO.

NOvitas gratissima rerum, cujus oculos & mentem allicit sagacem, in stellatū Carmeli montem unà mecum divertat. A.A. Altos etenim sphæricam in formam diductos montes, plurimùm insignibûs plenîsq; novitate commendari ostentîs, & avidam spectandi delectare, pupillam capulari repuarescens seniô annotat Orbis. Eructat sulfureas flagrans in astra Æthna favillas, simul eius in vertice Hyperboreæ confident nives. Quæ afflante tepentis Zephyri aurâ, æquoreas solvuntur in undas, Vulcanîjs nequeunt flammîs absorberi. Ardet Vesuvius, crassâq; volvit caligine fumum, æstiferos halitus & perpetua incendia spirat, nec tamen cineres diruitur in atros, nec squallentia rudera sentit. Inflammatur torridîs

Lyciæ Chimæra ignibûs, ſed non ſine admiratione ingenti. Cacumen eius magnanimi, oculîs qui ſemper dormiunt apertîs, occupant Leones, & ad voraces non aduſti excubant flammas, ſylveſtres inhabitant medium capræ; aſperi qui per immenſos ſinuant crebra volumina gyros, radices colubri tenent. Trino ferarum ordini, eruditum Pòëtarum commentum affingit triforme monſtrum, dicitq;Chimæram. Non unius ſæculi motu Cæleſtibus annumeratur ſphæris, perpetuô lucis ſplendore nitens, celebratiſſimus Theſſaliæ Olympus, cuius celſitudinem nec ſonorus Aquilo tangit. Prætervolat proceras in Libano Cedros, elevatos montium exſuperat colles, ſolius Olympi infra verticem exiſtit. Rapit in ſtuporem animos,amænitate ſuâ Elyſios longè excedens campos, exundans Caſtaliîs in BæotiaParnaſſus fluentîs,non ſolùm juxta erudita antiquitatis relata, Oraculorum Templô, in quo Apollini & Baccho offerebantur victimæ,&Syrenum memorandus Lycæô,verùm etiam Pieriîs, ex quo dulces Hipocrenes hauriunt fontes, celebrior Nymphîs. Molis

ſtu-

ſtupendæ monſtra feriq; terræ partus Gygantes, altos ut invadant Cælos totîs contendunt viribûs ſed aptæ ad tantos, deſunt ſuppetiæ exceſſus, depreſſæ telluris valles profundiq; receſſus, nil adverſus celſas valent Olympi arces, ſublimes aſcendunt colles, montiq; ſuperaddunt montem, ex his contra ſuperos bella facturi Deos. Sumit ab Hæmo Gygante nomenclaturam Hæmus, qui armipotenti Thraciæ regebat Imperiũ nutu, gravi telluris pondere preſſus ingemiſcit. Suſtinet Cæleſtes Atlas Mauritaniæ axes, elatũ caput inter nubila condens, ſplendida àëriîs ferit ſydera jugîs. Longos quia per univerſam Italiæ oram montes Apennini extenduntur in ductus, nedùm quod amæniore in Genuam inclinentur proſpectu coměndabiles, aſt quod monſtroſis cedunt ſua latibula feris. Terras non luſtrando remotas, & procul à Patrijs diſſita Regna focis, aſpiciat vicinos quiſq; Carpathij montes. En gelidîs operti tumeſcunt perpetuò nivibûs, quas nec placidiſſimæ virentem perflantes Orbem tepentes Etheſiæ, nec flammeus auricomi Titanis adurit fervor. Sanè baſili-

ſilica mundi operâ montes, ſtupendîs tumeſcere factîs, procul dubium eſto. Rotundam illi ſinuantur in ſphæram, hôc ipſô perfectiores ad omnia declarantur. Cælis vicini, illorum mitigant furorem, felices terræ efficiunt influxus. Sed linquo dumoſa montium juga, prætermitto non parvo cum ſtupore diviſos ab Hercule Abylam & Calpen, nec Alpinîs rigeſcentem nivibûs aſtrisq; proximũ, ex quo majora ſpectantur ſydera, huc Caucaſum deduco. Solum hodie Carmelum, ſtellato innixum Cælo, Prodigîjs & radiantibûs coruſcũ ſyderibûs attento ſpeculari. Altiſſimus hic mons omniq; ſtupore major, mari gratiarum adjacet MARIÆ. Pluribûs miraculîs claret, qvàm fluctivagus multitudine Arenarũ Oceanus tumeſcit. Quot hîc Hyblæam dictionis excedentes ſvadam, doctas pro Domo DEI exedras Oratores conſcendunt; quot zeloſi ſublimiori doctrinâ ſanctam exornant Eccleſiam Doctores, tot Prodigia, tot montis huius miracula dicenda. Sacer profectò eſt, quem ſibi Sacratiſſima inhabitare elegit MARIA. Hîc ille magnus Vates miraculîs reſplenduit

duit ELIAS, & ex hoc igneô transvectus ad æthera curru. Hîc D. MARIA MAGDALENA de PAZZIS, vitæ suæ magnîs prodigîjs claret, & Carmeli decorem auget, quæ tota, est miraculîs plena. Quælibet illius vitalis aura præstantiam spirabat virtutum, Dies sacris operibus, noctes disciplinæ & Orationi dicavit, sic quò salutaribûs intensior negotiîs, eò admirabilior Cælis & toti facta Universo. Quare PRODIGIVM Montis Carmeli. D. MARIA MAGDALENA de PAZZIS miraculîs & vitæ Sanctitate inclarescens, ad thaumaturgas loci huius Arenas, Oratoriâ hodie svadâ declaratur. Annue votis & conatui D. Virgo, stupendamq; virtutum tuarum Majestatem, si non condignô quâ par est prosequi, humili saltim permitte ingeniô admirari. Erigite perspicacem ad spectanda Prodigia pupillam. A.A. mihiq; in hanc arenam descendenti, date aurem benevolam, & attentionis favorem quem submissè posco.

Spatiosam Vniversi amplitudinem, mirô artificiô Numinis altissimi fabricatum opus, ingentibûs constare Prodigîjs in dubium non voco. Volvitur enim splendida Cæli facies, humanas mentes gyratione suâ ad-

mirationi involvit. Partes Orbis sui densiores stellæ, continuum peragunt cursum, tremulæ ab occasu veniunt in ortum, & tamen regularem stationem conservant. Erratici Planetæ dicuntur, huc & illuc quâ annuos, quâ diuturniores expediunt motus, & nunquam à præfixa sibi deviant meta. Cuncta lucida dicuntur astra, & tamen lucem mutuantur à Sole. Omnia in terras à Cœlo veniunt, & quæ terræ aut sylvarum sunt, hærent in Cœlis. Ab armentis Taurus, à sylvis Leo, ab aquis Pisces desumpti, in signifero Zodiaco locum occupant, non sine stupore. Sumit interdum cornua Luna, sangvineâ rubescit aliquandò specie, aliquandò colore latitat sub nigro. Ignita in æthere ardent Phænomena, minaci crine rorifera nubila cingunt, & non unum Calchantem stupescere cogunt. Lapides aliquandò imbriferæ dimittunt nubes, pro strepentibus gratô murmure lymphis durîs depluunt saxîs, quibûs spectantem pupillam terrent. Multa ab auricomo animantur sole, sed exanimata in admirationem rapiunt ora. Fervent radiante illius jubare multa, sed faciunt attonitos frigescere artus. Coruscô ejus etsi omnia illustrantur splendore, mentem

tem tamen ſtupore confuſam, ſubitîs reddunt exterritam umbrîs. Sanè habent Cæli quod admirentur palpebræ, ſed & terris multa admiranda non deſunt. Surgunt in altum ingenti fabricata ſeptem orbis miracula niſu, ſydera verſus deauratos attollunt vertices, quò & humanum animum elevant in ſtuporem. Intra Dodonæam Oraculorum ſylvam dant arbores fatidicæ reſponſa, quibûs audientium percellunt aures. Oleô non undîs ſaliunt lentö ſtrepitu fontes, tumeſcunt purpureô vaſta flumina cruore, ſed rubor admirationis eſt, qui ingenuas depingit genas. Naſcitur ſtupendâ praxi ex funere vita, dum in Arabia mortis fatalis rogus, vitæ lucem Phænici accendit. Aſcanij pſittacus non ſolum garire noſcit; etiam fidei noſtræ ſymbolum enarrat non ineptè. Ligneæ Tarentini Columbæ, volant ſinè pennis plumarum. Magni Adalberti caput alloquitur Thomam, etſi forſan cerebrô caret. Sed quid recenſeo parva? quid ſemel oſtenſa in memoriam revoco Prodigia? majus, quod cunctis ſupereminet Diviniſſimam MARIAM MAGDALENAM de PAZZIS ſpectate. Hæc vitæ ſuæ ſanctitate ordinarium naturæ ſuperavit cur-

 ſum

ſum ut PRODIGIVM eſſet. Florentia prima Lucinæ ejus cunabula dedit, quia miraculorum fragrantiâ totum erat orbem repletura. Quotquot floruere miracula mundi, jam pridem ſuum amiſere valorem. Diviniſſima MAGDALENA à Patria ſua ut florere cæpit, ita ſemper miraculîs clareſcit. Matre Mariâ Bondelmontiâ in lucem venit, mira omnia promittit, & bona quæ factura ſit, PRODIGIORVM exhibet ſigna. Camillum Genitorem Cæli MAGDALENÆ prævident, ſed qui Dictatorem Romanum Camillum, longè virtutum exceſſerit factîs. Ille quidem quòd Vejos decennali obſidione domaverit, quòd capiti Urbium Romæ, totiq; Imperio Latio facundô ingenij & prudentis conſilij ſenſu, pacis ſignum attulerit oleam, ſuam extendit famam. Hic quòd tanti PRODIGII noſtri Parens ſit, Orbi univerſo dedit ſuum commendabile nomen. A ſacris fontibus Catharinæ recipit nomenclaturam MAGDALENA, ſed & hic miracula latent. Illa Philoſophos ſuperavit Ethnicos, in montem Synai non ſine admiratione tranſlata; hæc mundum & fallaces adbellavit illecebras, PRODIGIVM montis Carmeli declaranda. Creſcit ætate tenerri-

ma

ma Virgo, infantiles peragit annos, & jam quòd ſpectator admiretur oculus in ea obſervat. Pueriles evitat ludos, crepundia non acceptat, nihil comune cum alijs gerit, ſola PRODIGIVM dicenda. Vt tamen ſine conſortio non ſit, elevatione mentis uſq; in Cælos aſcendere videbatur, cum Angelis ſancta colloquia habitura. Vbi ventoſâ tumet levitate juventus, Illa ſerie probitatum, comitate morum, maturam ſemper indolem præfert. Matris individua Comes, cujus à latere, niſi per impoſitam obedientiam divelli mavult. Majores nacta annos, ſimul & virtutes in immensũ adauxit, quæ ſeipſas fermè mirabãtur, quòd tantæ eſſent in tantillo ſubiecto. Catharinæ nomine gaudens Catharinã omninò imitatur ſanctitate. Non vidit quidem diſputantem Patronam ſuam cum ethnica Philoſophorũ turba, ſed tamen quæ à mundo, aut à ſuis adverſarijs obijciebantur argumenta ſolvere novit. Calluit benè Philoſophicas præciſiones, cum acumine mentis cunctas a ſe illecebras præſcindebat. Calluit argumentari in forma, cum ſe totam in obſequium illi, qui eſt ſpecioſus formâ præ filijs hominũ dedicavit. Doctorali non erat præcincta lauru, illi tamen nullum po-

tuit nocere fulmen. Cathedras non ascenderat, & ignorantes docere novit. Veniunt multi ad nostram Catharinam Auditores, quibus jam Orationem Dominicã, jam Angelicam salutationem, jam symbolum fidei explanat. Sub tanta Magistra optimus cuiq; profectus erat, ad quem & vivâ voce & largîs muneribûs alliciebat studentes. Illam aspicendo potuit quisq; scire declinationes à malo, & conjugationes virtutum callere. Novenarium Musarum cætum qui voluit videre, eum in Catharina, potuit observare, cui Angelici chori non defuerant. Floridam Rhetoricam quis ab illa non didicerit, quæ nisi Nazarenũ Florem loquebatur. Pro arbore Porfiriana, lignum vitæ Crux Sacratissima erat Catharinæ, ex qua bonorum Cælestium Prædicabilia nitebatur quemlibet informare. Sanè in omni scholastico studio Patronæ suæ Divinissimæ æmula fuit Catharina, æmula sanctitatis. Lautus illi non alius fuerat cibus, præter illum qui Panis Angelorum nuncupatur. Hic unus pro mille dapibus, pro aureis Heliogabali mensis, aut Vitelliorum ferculis sufficiebat Catharinæ. Hôc illa primùm post decennium refecta viribûs pollebat magnîs. Faciliùs quævis

vince-

vincebat adverſa, quam illi poterant evenire. Sed quid agis Catharina? PRODIGIUM es, altiùs eundum: miracula in montibus evidentiùs ſpectantur. Itaq; animô ſuô poſtquam in maximam virtutũ excreverit molem, Cælo vicinum Carmeli ſtatuit conſcendere montem. Voti ſui & deſiderij compos, ſextum ſupra decimum peragens annum, ipſô ſine labe originali conceptæ Virginis die, ſydereum verticem ſcandit. Macte tibi Sanctior providiſti Virgo, in illum aſcendis montem, qui à tot ſæculis miraculîs clareſcit. Carmelus enim hic eſt, qui Reginæ Cæli Thronus vocari debet, inquo primùm Virginis Deiparæ ſacellũ ſua invenit fundamenta. Hic Carmelus eſt, ad quem ELIAS cum acinace præſens, Paradiſum oſtendit eſſe. Promontoriũ pro ijs condidit, qui nè inter terreſtria periclitentur, ſecuriorem cum Angelis vitam in Eremo quærunt. Semel mons Galilææ Thabor, ſummi Regis Regum, Solis juſtitiæ Chriſti reſplenduit Majeſtate. Carmelus radiantibûs ſemper refulget aſtrîs. Qvot enim Præſuleîs inſignibûs decoros DYONISIOS, TELESPHOROS, BENEDICTOS, quot Patriarchali gloriâ conſpicuos CYRILLOS, SERAPIONES, GERARDOS, quod Doctorali laureâ exornatos JOANNES DAMASCENOS,

GREGORIOS NYSSENOS, NAZIANZENOS, tot primæ magnitudinis ſydera habet. Sacer eſt mons Synai, in quem Divæ Martyris Catharinæ prodigiosè per Angelos translatum corpus. Sacratior Carmelus, quem Virgo Virginum & alma DEI GENITRIX ſibi complacuit MARIA. Fauſtîs itaq; auſpiciîs ſtetit ſui deſiderij in meta MAGDALENA, cujus ſumma humilitas PRODIGIUM magnum. Peccatrix audiri & ab omnibus haberi cupiens, Catharinæ nomen in MAGDALENÆ transmutari poſcit, & impetrat. Benè conſuluiſſe ſibi olim Catharinam nunc MAGDALENAM autumate. AA. Hujus antea portabat nomen, cujus vitam adæquavit. MAGDALENÆ inſigniri ethymô poſcit, & eam rigidiori imitatur pænitentiâ. Illa ex peccatrice ſanctitatis PRODIGIUM facta, hæc ex virtutibus & vitæ innocentia montis Carmeli PRODIGIUM manet. Sibimet ipſi crudelis MAGDALENA, durîs verberibûs caſtigat corpus, acerbiori jejuniô vires ſuas enervat, animi robore infracta. Ob abſtinentiam à cibis langveſcens in terram cadebat, mente elevabatur in Cælum. Adhuc Novitia Virgo, ſe in omni actione Veteranam oſtedit. Quidquid roſeo

depro-

depromit ab ore stupendum est, quidquid operatur PRODIGIUM censendum, mundi miraculis majus. Imò nomen suum amitterent miracula si cum MAGDALENA in comparationem abirent. Sanctior est Illa Pharos, DEI amore lucens & clarescens. Sanctior Colossus Solis, cui SOL justitiæ CHRISTUS adest præsentissimus. Sanctior Semiramidis hortus MAGDALENA, in cujus manibus Flos hæret Nazarenus. Opus Dedalæum MAGDALENA, nam Seraphica Virgo. Pennis non arte factis, sed alis Divini amoris semper in Cælum ferebatur. Taceant fatidicæ Dodonæ frondes, dent nulla responsa, quæ PRODIGIA censeantur, MAGDALENA oracula pandit, & majus PRODIGIUM dicenda. Flagrat ferventissimô Professionis desideriô votaq; emittere studet, quibus Superiorum contravenit assensus. Unde sensus fatidicos fundit *Invitis votis sola Professionem emittam* Ergonè contra torrentem niti audebis MAGDALENA? Ergonè obedientiæ desponsata Superioribus Tuis vis esse inobediens? etiam in hoc PRODIGIUM probanda. Reverentiam omnem Superioribus præstat, suiq; compos propositi manet. Quam diu expetebat Professionem, eandem ipsô sanctissimæ Triados die facit, & emittit. Protinùs sanitati restituta, cùm ad sua devenit vota, sinè illis langvida, cum illis facta vivacissima. Admirantur Professam tantò magis, quantò ferventiori Divini amoris flagrantem incendiô vident. Quare unanimi consensu Novitijs in Matrem, Coætaneis in Magistram, Superioribus in Priorissam, eligitur, declaratur. Fecit Novitias in virtutibus veteranas, Coætaneas perfectiori instituit vitâ, Superiores ad majorem sanctitatē elevavit. Omnibus bonô præfuit exemplô, omnibus placuit, soli tartareo displicuit monstro, Incolæ avernali. Ipse stygias depressus ad undas, nè emineat in excelsiori po-

situm vertice, præclarâ sanctitatis adornatum PRODIGIUM nostrum MAGDALENA gloriâ attonitos nè reddat animos evertere & in imum deprimere eandē cogitabat. Assurgit obscænîs mundanarum deliciarum incitamentîs contra Divinissimam Viraginem, Infernalis voraginis habitator, sed nihil proficit licet innumeros decipiendi quæritet modos. Agit Vertumnum, à propositis Sanctis Virginem avertere volens. Formidandam asperi Leonis induit speciem, deformem ferocis Ursi assumit effigiem, jam rapacissimi Lupi, frementis apri, jam latrantis molossi, & crocitantis corvi horrendos ostentat vultus, quibûs Sancta deterreatur Heroina. Quid agis ô terribile monstrum? tu nè horescere MAGDALENAM putas? illa PRODIGIUM est, te magis faciet exhorrescere. Stat immota suo sanctior in proposito Virago, nihil infernales extimescit conatus, imò verbîs acsi verberibûs cæsos. *Quid urges ô horrenda bestia*, ad Cerberi cogit redire fauces. Pulsîs infernalis colubri insidiîs, quibûs totó vexabatur quinquenniô, lætiores peragit dies. Sic gaudet patientia duris, nec aliud ad lætitiam calcar habet, quàm aculeos malorum. Parvulum fasciîs infantilibus vinctum, ab Augustissima Cælorum Imperatrice recipit JESUM, & exinde PRODIGIUM declaratur. Quem enim Cæli vastaq; nequit capere terra, manibûs capitur ejus. Qui miraculosè tribus digitis molem appendit terræ, Ipse à MAGDALENA dependet. O PRODIGIUM Montis Carmeli MAGDALENAM! candidô induitur velô Angelici æmulatrix candoris, & nive candidior albâ. Pretiosô è latere Crucifixi prodeunte chlamyde, è manu dextra scapulari, è sinistra cingulô ornatur, ut tantò mirabilior noscatur, quantò liberaliori Cælorum donetur favore. Quid de sacra Synaxi dicam, quam ab ipso accepit CHRISTO. Quid de Corona, Cruceq; sacratissima,

ma, quibûs insignita erat, nonnè hæc PRODIGIUM MAGDALENAM testantur. Cor ipsum in signum amoris Illi à Domino datum, non nè eam stupescere præ nimio gaudio fecit. Sed adhuc non satis terræ MAGDALENAM spectare PRODIGIUM, Cælum eam ad eminentiorem sui, ex quo optimè videri possit invitat situm. Gravi proindè oppressa morbô, terrestres ubi repleverit, Cælestes etiam stupore ut impleat oras, ex stellato Carmeli monte, sydereum Olympi cum ingenti spectantium mærore & luctu, mox in gaudium verso, cacumen scandit. Supponitis forsitan quòd ingressa supernas MAGDALENA sedes jam orbum dereliquit orbem? minimè: Innocentissimam ubi Sanctorum cætui intulerit animam, sacrum per tot Annorum myriades corruptionis inscium corpus, toti fecit PRODIGIUM Universo. Stupent hoc afflicti, quod illis nova indulget solatia. Admirantur infirmi, à quo bonæ valetudinis accipiunt omen. Attonitis prospiciunt palpebrîs cæci, quibûs oculorum restituit lumen. Veniunt desperati, solatiô repleti, non sinè stupore recedunt. Pereuntes salvi à millenis infortuniorum eximuntur procellis. Ipsi flores MAGDALENAM PRODIGIUM declarant. Qui toties gravibus affectionibus medentur, quoties Virgineo tanguntur Busto. Velum ejus scissæq; vestium partes, miracula toti existunt mundo, quæ tot à præsenti naufragij discrimine vasto inerrantes liberant Pelago, tot incurabilibus sanitatem conferunt morbis. Sanè quis Archimedes peracta Divinissimæ MAGDALENÆ de PAZZIS, miracula tùm sanctiori in vita, tùm in felici cũ mirabili in altis Domino visione, tùm in sacris illius vestimentis debitum redigat ad calculum. Is numeret, qui aut maris arenas, aut MARIÆ gratias in Arenis numerare prætendit. Conticere hæc quàm

 elo-

eloqui, præstare silentia rebus, quam incultâ ultrò prosequi svadâ mihi maximum PRODIGIUM duco.

Tuum est immortalis gloriæ decus, sanctior stellati Carmeli Cohors, inclyta Zelantis ELIÆ Propago, augustissime Carmelitarum Ordo, quòd adusq; ingentibûs miraculîs clares. Imò totus Carmelus Vester mundi miraculum est. Struxerat quondam admirationis Templum Alaxander Macedo, ex illis Indorum lapidibus, qui continuum inducebant stuporem. Carmelus Vester, quacunq; videatur ex parte, oculos & animum rapit in stuporem. Vos ipsi PATRES Religiosissimi PRODIGIA nuncupandi, qui eruditione Vestrâ, devotione & vitæ sanctimoniâ usq; ad omnem admirationem claretis. Clarescatis in immensum emeritissimi Patres, sitisq; nova miracula mundi. Te Divinissima MAGDALENA de PAZZIS virtutes maximæ & miraculosa vitæ sanctitas quoniam Montis Carmeli PRODIGIUM probant; fac Virgo Divinissima ut Tuâ intercessione, nulla Poloniæ insultuum & infortuniorum noceant monstra. Alma Studiorum Mater, Regni Generalis Schola Universitas Cracoviensis, sit ab omnibus adversis sub Tua protectione secura. Successibûs suîs usq; ad omnem floreat stuporem. Te ad extremum, PRODIGIUM Montis Carmeli profiteantur omnes, ut ego DIXI.